

AUCTARIUM.

CONCIO I.

PROCESSIO HODIERNA ORDINATUR.

Processio fit hodie, ut: I. Parvuli cum infante Jesu offerant se obsequio divino. — II. Virgines cum Deipara colant silentium. — III. Viduæ cum Anna tueantur suum propositum viduitatis. — IV. Conjugati in Josepho offerant Deo liberos suos.

THEMA.

Tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent cum Domino. Luc. II.

Antiquus et sanctus Ecclesiæ ritus est, hodierna die processionem in templo ante missam adornare, utique ad memoriam et imitationem illius processionis, quæ hoc die instituta fuit in templo Jerosolymitano, ad præsentandum Salvatorem nostrum Patri suo cælesti. Ascenderunt enim illuc quinque personæ, omnes sanctitate conspicuæ: Salvator noster infans, sanctissima ejus mater, S. Josephus conjux ejus, S. Simeon senex, S. Anna vidua, ut scribit S. Lucas. Justum igitur est, ut etiam nos processionem instituamus in concione mysticam. Quod nunc faciamus.

Solet in processionibus unicuique ordini aut tribui suum præferri vexillum, seu imago patroni alicujus sancti. Nos in hac processione quinque sanctas personas habemus: has veluti patronos, seu vexilla sacra, præferamus quinque ordinibus.

I. Cum infante Jesu præcedite vos parvuli et parvulæ: pueri et puellæ, sequimini eum velut duces et vexilliferum, vexillum et patronum vestrum. Sed qua in re, dicetis? Sicut ipse se ab infantia Deo Patri suo ejusque obsequio hodierna die obtulit in servum; sic et vos a teneris annis offerte vos cultui ac servitio divino. Propterea enim Deus primogenita omnia sibi offerri voluit, ut intelligeremus desiderare eum etiam primogenitum, seu primordia ætatis vestræ, ad servitium suum. Eandemque ob causam præcepit, ut in oblatione filii primogeniti offerretur agnus anniculus, et pullus columbæ in sacrificium, Levit. I. quod cupiat sibi servire homines a teneris annis discretionis. Hi sunt grati Deo, quia censentur totam vitam Deo offerre, et tales evadunt ordinarie in viros sanctos et perfectos. Hinc enim Mich. VII. Deus dixit: *Præcoquas ficus* (Hebr. *primos fructus*) *desideravit anima mea.* Præcoquæ ficus sunt, quæ in æstate, mense junio, maturescunt in Italia, suntque majores, sapidio-

res, atque ob novitatem gratiores cæteris, quæ in autumno primum proveniunt; ideoque Romæ, papales, quasi mensa papali dignæ, appellantur; cæterum paucae, ideoque pretiosæ sunt. Tales assero, qui a juventute Dei cultui se mancipant, et hi desiderantur a s. pontifice Christo, ejusque mensam ornant. Verum quia rari sunt tales, idcirco ait Deus, se laborare eorum desiderio: ideoque pauci in terra sancti et perfecti viri sunt, quia pauci a pueritia serviunt Deo; unde immediate subdit propheta: *Periit sanctus de terra, et rectus in hominibus non est.* Rectus, id est, perfectus qualis Job: *Homo simplex et rectus*, quasi dicat: Ideo tales pauci sunt, quia pauci ab ineunte ætate mihi serviunt; plerique ver et ætatem vitæ suæ in libertate et voluptatibus terunt: in autumno, ad finem virilis ætatis, primum incipere volunt conversionem suam, cum jam hiems, cana et calva imminet, et vigor ætatis deserbit. Unde queritur ibidem Dominus: *Væ mihi, quia factus sum sicut vir, qui colligit in autumno racemos vindemiæ* (scilicet jam finientis): *non est botrus ad comedendum.*

II. Cum Maria Virgine sequimini vos virgines, eam, velut vexilliferam ac viam duces intuentes et pro viribus imitantes, in silentio. Nam licet Filius ejus a Simeone in ulnas tolleretur, et multa audiret de se et Filio suo prædicari a Simeone et Anna; nihil tamen ipsa respondisse aut interrogasse scribitur. Ex aperto ædis ostio cognoscitur, quid intus sit, an imagines sacræ et altaria, et tunc ædes sacra dignoscitur ac debito in honore habetur; an homines profani, tibicines, lyricines, etc. et tunc ædes profana et taberna judicatur, in quam libere quisque sine pudore ac reverentia ingreditur. Unde Dominus, Matth. XII. ait: *Ex abundantia cordis os loquitur.* Si os loquatur de rebus piis, cor tuum templum dicam: si de populis, tabernam: si de choreis domum saltatoriam: si de rebus spurcis haram; sicuti ex ructu et halitu conjiciam quid biberis aut ederis, vinum aut allium. Os dictum est quasi ostium, quia ostium hominis est: id si libere nimis pateat, profanis præsertim sermonibus, qualia in corde sint simulacra ostendit. Profanam ergo et levicolam puellam demonstrat, quasi publicum diversorium, ubi facilis datur aditus advenientibus; maxime, quando ea cum viris libere et familiariter sermonicatur. Contra, uti domus semper clausæ non facile a quovis pulsantur vel adeuntur; ita etiam virgines taciturnæ et seriæ non facile ten-

tantur. Quando civitas obsessa incipit tractare cum hoste, jam ad deditionem inclinare se ostendit: ita cum puellæ colloqui cum altero sexu familiariter incipiunt, jam periculo se exponunt. Unde Ecclesiastici V. dicitur: *Sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato, et confundaris*; si nimirum (uti præmisit) non est tibi intellectus, quod ordinarie est in puellis. Purpura piscis dum prælongam linguam suam exerit ad perforandas alias conchylias, ea sæpe apprehenditur et extrahitur capiturque, Pier. I. XXVIII. sic loquaces puellæ capiuntur lingua sua.

III. Cum Anna vidua pergant viduæ ac vidui, eamque velut patronam sectentur in proposito viduitatis, sincere et constanter tuendo. Illa enim ad an. octogesimum primum vidua cum esset, utique juvenis esse debuit, quando viro suo orbata fuit. Poterat ergo facile reperire alterum maritum, si voluisset. Igitur ex proposito vidualem statum tenuit, sicque vere vidua fuit, quales commendat apostolus, I. Tim. V. *Viduas honora, quæ vere viduæ sunt.* Nam ut ibi notant S. Chrysost. et Ambros. fieri potest, ut aliqua viro orbata sit, vere tamen vidua non sit, nimirum non amore castitatis, et ut melius Deo serviat; sed amoræ libertatis, ut a viri imperio immunis sit; aut quia despicitur, vidua manet, vere vidua non est: quemadmodum et virginem non facit abstinentia a conjugio, sed amor integritatis. Sic de struthiocamelo dicitur Job, c. XXXIX. *Penna struthionis est similis pennis herodii et accipitris*, quia licet pennas habeat, iis tamen evolare nequit, sed adjuvatur solum in cursu; cæterum vera volucris non est, quia volare nequit: sed camelus potius, ob altitudinem colli et uingulas bifidas: revera tamen neutrum est, sed amphibium quoddam. Ita quæ orbata viro, in terra solum ambulat, nec amore castimonie ad Deum evolvant, vere viduæ non sunt, nec eo nomine dignæ, sed nec vere conjugatæ sunt; neutrum igitur sunt, et neutrius status mercedem habebunt.

IV. Cum Josepho conjugato eant conjugati et sequantur præeuntem in liberorum oblatione, qua præsentent eos Deo, ducant, vel mittant ad templum, missam, catechesim, scholam, congregationem, etc. S. Athenogenes choriep. educarat in suo monasterio cervam, quæ imperio ejus parebat: ipso vero per martyrium consummato, accessit una cum hinnulo suo ad memoriam et sepulcrum ejus, ibique offerens ei quasi hinnulum, reliquit et abscessit, apud Lipoman. to. VI. Sur. 17. julii. Quo utique miraculo instruere Deum parentes voluit, ut ipsi offerant Deo filios suos, cujus beneficio vivunt et acceperunt liberos. Sic Anna Phenennæ duxit in Silo et obtulit Deo

filium suum in servitium perpetuum, I. Reg. I. Ac si quidem vocet Deus aliquos ad religionem, ne impediunt parentes; sed ipsi potius cum gaudio offerant eos Deo, qui plus in eos juris habet, quam ipsi. Verum offerant *primogenitos*, id est, electos, idoneos. Sola asinorum primogenita reprobavit Deus, et ovem pro asino petiit, Exo. XIII. cur ita, nisi quia in servitio suo non vult habere stupidos et ineptos.

V. Cum Simeone sene claudant agmen senes, sequendo eum in desiderio moriendi et videndi Christum. Ita enim Simeon, ubi Christum aspiceret meruit, jam nihil amplius in mundo videre aut habere desideravit, sed dissolvi petiit: *Nunc dimittis, etc.* Nihil eum in mundo tenuit, nisi spes videndi Christum, quod ei promissum erat: ea obtenta mortem optat. Et quid vos, senes, in mundo tenet? Nonne mundo jam saturi, nonne mundo exosi et molesti, imo ludibrio estis? Quid ergo diutius vivere cupitis? Si Christum videre quæritis, in altero mundo quærite. Simeon tanto desiderio videre eum cupiit mortalem in servili et infantili forma: quanto magis desiderandum vobis, ut videatis eum in regno suo, immortalem, et gloriosum, ubi vobiscum conversari et deliciarum, regnumque partiri cupit? Et tamen plerique senes, ac jam fere capulares nil de morte et itinere ad vitam alteram, jamjam aggrediendo, audire volunt, neque ad illud se disponere. Vivunt adhuc tam anxii et solliciti pro vitæ suæ et bonorum terrenorum possessione et incremento, ac si juvenes essent. Quid, deliri, cogitatis? Jam pedem in sepulcro habetis, brevi vobis migrandum est, qui jam mundo inutiles estis: quid ergo de multo viatico pro tam brevi vita anxii estis? Quid jam in mundo quæritis, cui cras valedicendum erit? S. Felicianus martyr jam octogenarius, cum ei post gravia verbera Promotus, Numentanæ civitatis præses, sub Diocletiano et Maximiano diceret, velletne potius diis immolare et jucundos cum gloria dies eligere, quam novis iterum supplicii macerari, respondit: « Quos tu mihi dies jucundos commemoras? Octoginta jam ætatis annos habeo et triginta plus minus Christi cognitione illustratus, illi cum summa animi mei voluptate deservio: et jam tu mihi vana et caduca hujus mundi oblectamenta arripienda persuadabis? Ego vero Christo meo ad extremum usque vitæ spiritum adherere decrevi, qui me tuis e manibus liberabit. » Lipel. et Sur. 9. junii. Dic hoc idem mundo et tu, mi senex. Adde cum S. Monica: *Quid hic facio? Quid hic ago aut expecto?* Dic cum Davide: *A te, Deus, quid volui super terram? Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum, Ps. LXXII. Vi-*

dele regiones, ait Christus, Jo. IV. *Quia albæ jam sunt ad messem, jam spicæ se incurvant versus terram: jam cani sunt capilli et barbæ vestræ, jam dorsa incurvantur, jam falx ad agrum posita est.* S. Joannes apostolus jam senex, cum in fine Apocalypsis suæ audivisset Jesum dicentem sibi: *Etiâ venio cito,* respondit Joannes: *Veni, Domine Jesu, anhélans nimirum ad conspectum Christi.* Cumque is venire tardaret, et Joannes diu valde viveret, vivens sibi, quasi moræ impatiens, sepulcrum fieri jussit; in quod, cum dixisset: *Et tu, Jesu, mecum esto,* descendit, ibique spiritum recidit. S. Ignatius martyr, cujus heri festum celebravimus, per leones et omnia tormenta diaboli ad Christum contendit: *Tota tormenta diaboli in me veniant,* inquit, *tantum ut Christo fruatur:* sicque ad rugientes leones non modo intrepidus, sed et gratulabundus quasi ad triumphum intravit; rogans Deum, ne permitteret sibi parci a leonibus, uti aliis factum.

Hæc sunt vexilla vestra, hi duces et patroni, auditores, quos si sequamini, recta, ne dubitetis, ad Christum deducemini.

CONCIO II.

VARIIS VIRTUTUM CEREI VARIIS DISTRIBUTI.

Distributio cereorum diversis assignata. — I. Teneræ ætati obedientia. — II. Virginibus cereus humilitatis. — III. Viduis cereus exercitii in piis operibus. — IV. Conjugatis cereus observationis mandatorum. — V. Senibus cereus vigilantia.

THEMA.

Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuæ Israel. Luc. II.

Festum hodiernum a Græcis *hypante*, appellatur, id est, *obviatio* seu *occursus*, et *hypopante*, id est, *suboccursus*, propterea quod Christus hodie Patri suo æterno; et interim quasi fortuito Simon et Anna, sancti duo senes, instigati Spiritu sancto occurrerint Christo in templum gestato. Quare decet nos quoque cum illis hodie Christo obviare, quem admodum Ecclesia nos docet, cum hodie in templo processionem peragit. Scimus autem virgines, quæ sponso obviarent, cum lampadibus, et quidem accensis, occurrere debuisse. Nos ante annum processionem instituímus; sed cereos ardentis nondum vobis distribuimus. Superest ergo, ut nunc suum cuique cereum demus.

In hac processione quinque ordines instituímus, juniorum, virginum, viduarum, conjugatorum, senum.

I. Ergo teneræ ætati, quæ cum Christo ambu-

lat, do obedientiam pro cereo. Aspiciat ea Christum Dominum, qui ab infantia statim incepit legibus Patris sui se subicere, ut præsentetur ei velut primogenitus in servum ipsi natum, tametsi ejus Filius esset, nec legi illi subjectus. Neque refert quod infantulus magis offerri, quam offerre se videretur; fuit enim interim velut vir, utens plenissima ratione, seque ultro offerens, et parentes ad se offerendum instigans. Passus est ergo se gestari a parentibus in ulnis Jerosolymam usque ad templum in oblationem, et in hac obedientia vixit semper: *Factus obediens, quousque? Usque ad mortem,* adeoque tota vita, usque ad mortem crucis ignominiosissimam et crudelissimam.

Quærent ergo filii et filia, quibus debeant obedire? Respondeo, primo, parentibus naturalibus, quia filii sunt quædam pars et membra parentum. Unde Philo, l. de præmiis sacerdot. liberos appellat parentum partes separabiles. Sicut ergo membra obediunt imperio hominibus ad nutum et quaquaversum, sic decet filios obedire parentibus: et sicut manus vel pes, v. g. si difficilius jussa potentia motiva exequantur, indicant hoc ipso, se contra in aliqua infirmitate laborare; ita filii, si ad jussa parentum ægre moveantur, gravi pocul dubio morbi ægritudine tenentur. Neque solum parentibus naturalibus, sed etiam moralibus, uti magistris et superioribus suis: non enim minus hi sunt patres, qui formant animos, quam illi, qui fingunt corpora. Sic Jubal dicitur: *Pater canentium cithara et organo,* Gen. IV. hoc est, magister, ut docet, S. Hieron. in tradit. Heb. Ad hæc etiam legalibus, seu vitricis et novercis; siquidem Christus etiam Josepho, qui tamen ejus parens naturalis non erat, sed nutritius tantum, paruit in omnibus.

Secundo, quamdiu obedire debeant? Respondeo, usque ad mortem, hoc est, ad emancipationem, ab hac enim censentur mortui parentibus, sive religionem ingrediantur, sive matrimonium ineant; utrobique enim moriuntur et crucem suam inveniunt. Ad illud usque tempus jugum parentum ferre debent, quia cum ipsi tabulae rasæ sint et instructione egeant, frustra ejus disciplina inscribitur, nisi manui scribentis subjecti sint. Certe cum dextera manu in charta scribimus, interim sinistra chartam retinemus et premimus, ne cedat et scriptionem turbet; et si aspera sit, dente suillo eam lævigamus. Filii ergo, si volunt ut ipsis inscribantur scientia et virtutes, teneri legibus, et subjacere debent parentibus, neque indignari si premantur et virgæ dolabra subinde lævigentur, ut ex aspero et pilose Esau fiant lenes Jacobi.

Quousque? Usque ad crucem, hoc est, etiam cum dura imperant. Sic enim Christus ait, Os. XVI. *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras* (migrando in Ægyptum, in desertum, ad montem Oliveti et Calvaria); seu, ut exponit Hieron. *Observavi viam latronis;* quod accidit, dum publicam et infamem inter latrones mortem appetiit. Discant hic filii parentibus etiam in rebus duris, et cum tribulantur, obedire.

II. Virginibus, quæ cum Deipara Virgine ambulant, do cereum humilitatis. Sic enim et B. Virgo hodie, cum esset *mulier amicta sole.* Dei Filium in ulnis gestans, humillimo tamen habitu Jerosolymam ingreditur; et quasi una de aliis puerperis, se sistit purificationem, qua virgo existens minime egebat. Magnum et plusquam regium thesaurum gestant virgines, sed *in vasis fetilibus,* II. Cor. IV. Hunc ut securius servent, per humilitatem abscondant, tum externam tum internam. Si enim externo se splendore ornare velint, jam se periculo exponunt, non minus quam Ezechias rex, cui, quia legatis Babyloniorum ostendit thesaurum et aromata et pigmenta et quidquid pretiosi habuit, prædicit propheta totum illum thesaurum ob eam ostensionem a Babyloniis diripiendum, IV. Reg. XX. (Cautiores fuerunt illi reges, qui ad Christi præsepe peregrinantes, non monstrarunt Herodi thesauros suos, nec dixerunt: *Venimus cum muneribus;* sed absconderunt, et in domo Christi nati primum aperuerunt). *Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publice portat in via,* ait S. Greg. hom. XI. in evang. et quidem de illis: *Qui de virginitate sua gloriam foris expectant,* ut ait idem, hom. XII. qui idcirco fatuas virgines accusat, quod non inclusum vasculis oleum, ut prudentes; sed in lampadibus expositum gestarint. Accedit S. August. qui, l. I. de civit. c. XXVIII. asserit causam fuisse, cur Romæ virgines aliquot, etiam Deo sacræ, a barbaris irruentibus violatæ fuerint, quia ob donum virginitatis elatæ fuerint.

III. Viduis, quæ cum S. Anna ambulant, do cereum exercitii in piis operibus, jejuniis præsertim et orationibus, quibus Anna serviebat Deo die ac nocte, plurimis annis. Est enim genus dæmoniorum, teste Domino, Mat. XVII. quod non ejicitur, nisi in oratione et jejunio; quale habuit filius quidam, qui ab hujusmodi dæmone modo projiciebatur in aquam, modo in ignem. Videtur hoc dæmonum genus viduis insidiari. In ignem eas projicit, cum præteritas carnis delectationes in memoriam illis revocat, sicque flammæ libidinis excitat: in aquam, cum earum desolationem et orbitatem ingerit, sicque lacrymas exprimit. Quare nihil melius contra hostem istum, nisi

jejunium, et oratio. Hæc enim duo, quasi duæ alæ hominem a terra ad Deum elevant, et quasi angelum, seu cælestem hominem, efficiunt: jejunium carnis tentationes reprimit; oratio in desolatione et tribulatione præsentissimum est remedium et refugium ad Deum, consolatorem ac defensorem viduarum. Ab oratione jam non, ut antea per maritum, impediuntur: nec jejunio, quia multis cibis non egent; cum nec proles alant, nec multis oneribus graventur, uti prius in matrimonio.

IV. Conjugatis, qui cum S. Josepho ambulant, do cereum observationis mandatorum Dei et Ecclesiæ. Sic enim et Joseph, velut paterfamilias, diligenter observavit præcepta a Moyse tradita, secundum illa vixit ac familiam direxit. Audivit post quadraginta dies purificandas esse puerperas secundum legem Moysis; unde duxit conjugem in Jerusalem, ut huic legi satisfaceret: audivit primogenitum Deo sistendum: *Sicuti scriptum est in lege Domini, stetit: audivil dandam hostiam: Secundum quod dictum est in lege Domini, dedit.* Dum ita secundum legem Dei direxit suam familiam, directus a Deo fuit in omnibus viis suis, et monitus ab angelo, quid agendum, quando fugiendum, quando et quo revertendum, ubi manendum esset: præservatus etiam ab ira Herodis, jam tum insidias Christo machinantis, cum in templo et urbe Jerosolyma eum præsentaret, quo tempore velut alcyoniis diebus, mira Dei dispositione, quievit ac compressa fuit ira Herodis, sicut furor maris reprimitur et silet per dies quatuordecim, quibus alcyon excludit et fovet pullos suos ad littus maris, alioquin sævi et furibundi. Nimirum: *Mandatum lucerna est, et lex lux,* ait Sapiens, Pr. VI. non secus ac columna nubis, quæ Hebræos duxit per desertum, monens quando eundem et quiescendum esset, Exo. XIII. Hinc benedixit Ecclesiasticus, c. XV. *Adjecit (Deus tibi) mandata et præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te.* Sicut duæ vesicæ turgidæ, quibus innatant pueri, cum natare discunt, non permittunt eos mergi, quamdiu intra brachia ab illis retinentur: sic mandata Dei et Ecclesiæ strenue servata conservabunt hominem: unde si qui in miserias incidunt, et a Deo deseruntur, cogitent quod ipsi prius Deum et mandata ejus deseruerint.

Benedixit Simeon Josepho ejusque conjugi, quia legem Dei et Moysis tam solerter observarunt: sic benedicet Deus conjugatis, si legem Dei servarint et Ecclesiæ.

V. Senibus, qui cum Simeone ambulant, do cereum vigilantia qua se ad mortem præparent, quomodo et Simeon se paravit, veniendo in spi-

ritu ad templum, sumendo Christum in ulnas suas, ac desiderando mori. Cur enim dicitur responsum mortis accepisse, nisi quia prius sæpe quæsit cum Job: *Quando veniam et apparebo ante faciem Domini? Et cum Davide: Notum fac mihi Domine finem meum, et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi.* Itaque si corpore non possunt, spiritu saltem veniant crebro ad templum, et cum Daniele quasi captivi, aperta versus templum fenestra, domi orent, legant pios libros, dent eleemosynas, etc. Gentilis ille philosophus Diogenes etiam in senio non deseruit austeram et philosophicam suam vitam; quare monitus ut jam senex philosophari desineret, respondit: *Victoriæ tempore a bello non desistendum, ne quis victori coronam auferat*, Laert. l. III. conformiter cum illo, quod scribit S. Joannes episcopo cuidam, Apoc. III. *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Certe Salomon, quia in senio demum se neglexit, depravatum est cor ejus per mulieres: *Cum jam esset senex.* Quando dux exercitus vidit eminens hostem se ad prælium accingere et contra se venire tunc et ipse instruit aciem, et armatus illi obviat: *Cum surrexisset Philisthæus et veniret et appropinquaret contra David, festinavit et cucurrit ad pugnam ex adverso Philisthæi*, I. Reg. XVII. sicque prævenit et prostravit eum. Vident senes mortem falce armatam contra se jam appropinquare; festinanter ergo occurrant illi ac præveniant pugnantem. Deinde, per eleemosynas et alia bona opera parent se ad mortem. Docuit hoc pius quidam episcopus matrem suam seniculum, avaram et mundo adhuc deditam, cum prius sæpe frustra eam admonuisset, invitavit eam ad cœnam, et ipsemet eam adduxit, sed nullo accenso lumine, cum jam ingruerent tenebræ. Illa igitur a filio petit, ut curet præferri lumina. At filius paulo post se curaturum ait, ubi ventum fuerit ad fossam, arcto ponticulo transeundum. At illa: Quinimo jam statim cura lumina; quid enim si inciderem in fossam antequam feratur lumen? Et qui transibo eam sine lumine? Tum episcopus: Ita, mater mea, bene dicis; sed velim ut tu etiam tibi sic consuleres, et morti tuæ per eleemosynas aliaque pia opera prospiceres, antequam ad fossam mortis, non sine maximo periculo transeundam, pervenias. Quid enim nosti, quam longe ab ea distes? Et quid si nunc incidas? Refert Lipellus, dict. et fact. memor.

Hanc ob causam morienti cereus in manu datur, non tantum pro moriente, sed etiam pro viventibus, ut meminerint Christo occurrere cum lucerna gratiæ. Porro sicut lucerna, quæ præfertur, plus illuminat, quam quæ a tergo sequitur;

ita eleemosyna data ante mortem melior est ea, quæ post mortem legatur. Denique, accipiant sæpe Christum in ulnas per s. communionem, velut baculum senectutis suæ, et lucernam perfectionis ad alteram vitam; cupiantque *dissolvi et esse cum Christo.* Qui enim longum iter brevi sibi aggrendum novit, de viatico, eoque largo et securo, quod portare, et quidem absque periculo amissionis, possit, sibi providet. Quod autem melius et securius viaticum Christo ipso, viæ duce et gloriæ Domino? Avarus quidam senex Constantiæ ad lacum Aconiacum, ut scribit magister Joan. Videt in fornicario suo, peculium suum antiquæ et valde bonæ monetæ, nolens aliis relinquere, in pultam avenæ, panis loco inject, et cum pulve devoravit; sed his bolis suffocatus est. Utinam non multis plus de nummis suis, quam deviativo animæ solliciti essent! Volumus ergo peculium nobiscum ferre ad alteram vitam? Christum in eucharistia comedamus. Certe Ludovicus pius imp. ultimis quadraginta diebus vitæ suæ, nihil omnino sumpsit præter s. eucharistiam (teste Aimoine, l. V. hist. Francorum, c. IX.) et sic piissime obiit.

Hi sunt cerei, auditores, hodie incendendi, quorum recordationem ingerunt vobis illi materiales, quomodo lignea Christi imago deducit nos ad Christum; alioquin vana et inutilis. Attendat quisque ad cereum suum, non ad cereos aliorum. Solet enim contingere, ut dum quis aliorum lumina curiosius intuetur, suo interim lumine seipsum adurat. Idem accidit iis, qui, se neglectis, aliorum nævos aspiciunt. Prudentes illæ virgines non ad fatuarum, sed ad suas attenderunt lampades. Sic intrarunt cum sponso ad nuptias. Quod et vobis precor.

CONCIO III.

MUTUA CONJUGUM OFFICIA A COLUMBIS PRÆSCRIPTA.

I. Conjuges studeant puritati conscientiæ. — II. Non inviti permittant Deo filios suos. — III. Mutuo se amore prosequantur. — IV. Mutua ferant onera. — V. Careant zelotypia. — VI. Fidem sibi mutuo servant. — VII. Mutuos defectus ferant.

THEMA.

Dictum est in lege Domini: *Duos pullos columbarum.* Luc. II.

Quid est, auditores, quod in v. t. Deus una cum oblatione primogeniti petierit etiam turtures aut columbas, et quidem par turturum vel duos

pullos columbarum? Cur non unum saltem turturum aut columbæ pullum pruno primogenito, sed duos? Ego sane existimo, non tam propter ejus parentes petiisse hoc munus Deum. Jam vero scimus ea munera non esse grata Deo, quæ non veniunt a personis gratis. Hinc enim jubet Christus, illum, qui habet aliquid adversus fratrem suum, relinquere munus suum ad altare, et prius reconciliari fratri suo, Matth. V. Illud igitur munus tum demum Deo gratum erit, si a gratis offeratur. Quare ut insinuaret parentibus, quales ipsi esse debeant, quando offerunt suum primogenitum, par turturum addi voluit, aut duos pullos columbarum, ut nimirum ipsi similes sint pari turturum aut certe columbarum. Non est igitur, quod in longinquum abeant conjuges pro magistro seu doctore; habent domi passim columbas, quas ideo forte Deus affixit ædibus, ut ab eis conjugati discant, qui se gerere debeant. Turtures alibi explicuimus, nunc columbas speculabimur; pulchrum valde piorum conjugum speculum.

I. Hostes immunditiæ sunt; nam et nidum suum purgant, et crebro pennas suas rostro componunt: gaudent pluviis, quibus se abluunt, ac deinde pulvere conspergunt, teste Arist. l. IX. hist. XLIX. Pari modo etiam conjuges christiani tonentur suas conscientias statis temporibus expurgare per pœnitentiam, et componere per orationes quotidianas vitam suam. Gaudeant quando pluvia, hoc est, solemne aliquod festum venit, in quo Deus gratias suas largius effundere et plurimos rigare solet, ut in iis saltem se per pœnitentiam abluant, et non jam in lecti mollitiæ, sed in pulvere pœnitentiæ sese volent. Certe B. Virgo purificationis legi se subiecit, cum nihil expurgandum haberet: quanto magis conjuges certis se temporibus purificare deberent, qui facillime labe contrahunt? At quoties conjugati se expiare debent? Dico, quoties pluvia gratiarum magna contingit, in festivitibus scilicet majoribus. Deinde, interrogent elephantem, De his enim scribit Pier. l. II. alique, quod singulis novis lunis descendant ad amnem, in eoque se purificent. Bestiæ ergo observant tempora ad se abluendum: cur non potius nōmines? Ad elephantem nos mittit Job, c. XLIX. dicens: *Interroga jumenta* (Hebr. interroga behemoth, hoc est, elephantem, ut vertunt Vatablus, S. Basilius et Tugurina) *et docebunt te, etc.*

Quod si compta etiam corporis imitari columbas velint, id faciant more columbarum. Primo, non ad superbiam et luxum, sed ad honestatem. Neque enim columbæ alienis plumis se ornant, sed suas tantum componunt; nec se aliis, sed

suis conjugibus adornant. Audiant S. Chrysost. hom. X. in ep. ad Coloss. sic mulieri loquentem: « Quid ornaris? Dic quæso. Ut viro placeas? Igitur domi hoc facias. Hic vero contrarium fit: scilicet domi summa incuria; si foras itur, annus est, dum comuntur. Si autem proprio viro placere, aliis ne cura ut placeas: si vero aliis placere vis, non potes placere tuo? » In somnio Josephi de sole, luna et stellis ipsum adorantibus, pater ejus per solem, mater per lunam ei repræsentati sunt. Jam vero luna ex ea tantum parte splendet, qua solem aspiciit: ex altera parte, qua ad alia se convertit, obscura est. Sic uxor splendet in conspectu mariti sui, cui soli placere debet: obscura contra sit ad conspectum aliorum virorum.

II. Tametsi ambo conjuges valde ament pullos suos et pari labore educant, non ægre tamen ferunt eos a domino suo abripi, quod aliæ aves, imo bestiæ omnes non sine renitentia et molestia sustinent, ideoque domicilium alibi quærunt; non item columbæ, quia nimirum domino suo debent habitationem, pabulum, denique seipsas. Ergo et conjuges christiani, si forte Deus omnium Dominus eorum filios sive per mortem sive per religionis ingressum ad se trahat, non indigne id ferant. Cogitent id Sap. IV. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus.* Magnum certe jus habuit Beata Virgo in Filium suum, quia sola ejus parens fuit: ad hæc millies magis eum dilexit, quam cæteri parentes diligere soleant suos; et tamen petenti eum ex lege Deo, libenter obtulit, non ad templum modo, uti nunc, sed postremo etiam ad crucem. Cogitent Deum longe plus juris habere in liberos suos, quam se: deinde, posse Deum pro una prole reddere illis aliam ac plures, quemadmodum Annæ, pro Sannuele ad Dei obsequium devoto, reddidit quinque proles, tres filios et duas filias, I. Reg. II. et S. Jobo pro septem filiis et tribus filiabus morte abreptis, dedit alios totidem filios et filias, speciosiores prioribus, Job, ult. c. Cogitent denique, se debere Deo seipsos, victum, vestitum, habitationem, opes, vitam et omnia sua. Quid mirum si interdum Deus exigat primitias aut decimas?

III. Columba mas et femina mutuo se amore prosequuntur, et mutua sibi infigunt oscula, teste Plin. l. X. c. LVIII. ad hæc, pacatissime inter se vivunt, simul fere gradiuntur, sibi que mutuo assident. Ut stabile et suave sit conjugium, necessarius hic est amor mutuus, quem inserere illis voluit Deus dum Evam ex Adami costa efformare, eisdemque idem nomen Adam, seu hominis, dare voluit! *Vocavit nomen eorum Adam*, Gen. XXV. Vir

V. PARS FESTIVALIS.